

raptorum positam cit. § 1. Instit. de vi bonorum raptor. Sed succurritur illi per interdictum unde vi, l. 1, ff. de Vi, et vi armata; vel per publicum iudicium legis Juliae, l. In eadem causa, 3. ff. ad Leg. Jul. de vi publica.

14. *Fieri potest circa rem etiam minimam.* — Caeterum rapina circa rem mobilem committi potest in quavis re cujuscunque etiam minimi pretii; cum delicta non aestimentur ex objecto, et parvitate materiae; sed pravitate affectus, et scelerato animo: prin. Institut. de vi bonorum raptorum, ibi: Etiam si quis unam rem licet minimam rapuerit.

15. *Debet autem fieri injuste.* — Dicitur tertio injusta (alii ponunt dolosa) ablatio; quia qui rem alienam juste et legitime violenter aufert, uti hostis in bello justo, officialis, vel alius auctoritate magistratus, constitutus in extrema necessitate crimen rapinae utique non contrahit. Molina de I. et I. Tr. 2, disp. 682, n. 7, et alii communiter per vulgaria.

16. *Et per vim.* — Dicitur quarto per vim facta; quia si vis non adhibetur, sed res clam, et dolose aufertur, non rapina, sed furtum est. Nam per vim rapina, distinguitur a furto, prin. Instit. de Vi bonorum raptor. Ob quam injustam vim, seu violentiam rapina etiam gravius peccatum est, quam simplex furtum, can. Penale, 13, cau. 14, q. 5, ibi: Poenale est, occultum occulte auferre, multo majoris poenae est, visibiliter eripere. Unde etiam furtum improbius vocatur, l. Praetor ait. 2, § 10, ff. De prin. Instit. de vi bonorum raptor. eo quod per rapinam duplex injuria inferatur proximo, una in rebus, altera in persona et honore, dum rem eidem extorquendo violentia adhibetur.

17. *Cum, vel sine armis.* — Caeterum non refert, an vis armis, vel sine armis interatur l. Praetor ait. 2, § 1, ff. eod. Imo etsi nulla vis actu inferatur, dummodo raptorem mobilem palam auferant, parati vim inferre, si eis resisteretur, rapina est l. 1, § 9, ff. eod. Farinac. Prax. crim. q. 166, n. 34. Carpz. p. 2. Prax. crimin. q. 9, n. 38.

18. *Pœna rapinae, si contra eam civiliter agatur.* — Resp. II. Poenae de jure civili contra rapinam, et raptorem statutae, si agatur civiliter intra annum, est restitutio in quadruplum, ita ut praeter rem ablatam

eamdem in triplo adhuc pretii, vel aestimationis compensare, post annum vero, non nisi ipsam rem rapina, ablatam, vel aestimationem illius una cum refusione lucri cessantis, et damni emergentis restituere debeat raptor, prin. Instit. de vi bonorum raptor. ibi: Est intra annum quadrupli, post annum simplici, concordat l. 1, et l. 2, § 13, ff. eod. ac l. 2, datur etiam actio contra raptorem furti.

19. *In foro interno raptor ante sententiam iudicis plus restituere non tenetur, quam quod rapuit.* — In foro conscientiae tamen raptor ante sententiam iudicis plus, quam rapuit, restituere non tenetur, uti cum D. Thoma 2, 2, q. 62, art. 4, in corpore, habet communis theologorum; post sententiam tamen tenetur eidem acquiescere.

20. *Pœna criminalis, si rapina committatur cum armis.* — Resp. III. Si agatur criminaliter contra raptorem rerum, distinguendum est, an cum vel sine armis rapinam commiserit; si cum armis rapuit, poenam capitalem incurrit l. penult. ad Leg. Jul. de vi publ. et ordinat. Caroli V, art. 126, quae poena vel maxima procedit in grassatoribus et spoliatoribus itinerantium, qui, si praeter rapinam etiam vulnerant, torquent, vel occidunt, rotæ supplicio; si simpliciter rapiunt, solo capite plectuntur, uti habet citata constitutio Carolina art. 126, 130 et 137.

21. *Pœna criminalis, si rapina committatur sine armis.* — Si vero sine armis rapina committitur, poena illius est amissio tertiae partis bonorum, dignitatis item et honoris, una cum infamia, § Item Lex Julia. 8. Instit. de publ. Judic. l. 1, prin. ff. de vi privata. Juncta l. 2. C. eod. Ordinatio tamen Carolina raptorem indistincte gladii, vel alia mortis poena juxta loci consuetudinem afflicti jubet, art. 126.

22. *Pœna raptorum jure canonico statuta.* — Resp. IV. De jure canonico poena raptorum est excommunicatio inferenda ab episcopo loci, ubi rapina committitur, etsi raptor sit alterius diocesis, a qua absolvi etiam a proprio episcopo non potest, nec recipi ab eo, sed per episcopum excommunicantem remitti debet, nisi plene satisfecerit, c. 1, h. t. Quod si raptor in ipsa rapina moriatur, vel satisfacere nolens decedat, tanquam in peccato mortali defunctus caret sepultura ecclesiastica, c. Super eo, 2, h. t. et c. Fures. 2, de Furt.

23. *Pœna spoliantium bona naufragantium.* — Illi vero, qui spoliant naufragos Catholicos in mari, ipso facto incurrunt excommunicationem Bullae Coenae, casu 4. Pariter excommunicationem Bullae Coenae ipso facto incurrunt latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Romanae Ecclesiae pertinentes, casu 3. Illi insuper, qui Christianos naufragium patientes (quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur) damnata cupiditate spoliant rebus suis; nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere, uti statuitur in concilio Lateran. relato c. Excommunicationi, 3, h. t. qua tamen excommunicatione non teneri eos, qui bona naufragantium haereticorum, Judaeorum, Saracenorum, aut aliorum infidelium spoliant: nam licet et hi male agant ita spoliando, et ad restitutionem teneantur, tamen verisimile non est concilium per poenam excommunicationis specialiter protegere voluisse bona hostium Ecclesiae. Castro Palao, tract. 29, disp. 3, p. 5, n. 8. Bonacina de Censuris, disp. 1, q. 5, pun. 3.

24. *Latrones et grassatores privantur insuper asylo.* — Porro latrones publici, et viarum grassatores, praeter jam allegatas canonicas poenas, etiam illam incurrunt, quod priventur jure asyli, adeo ut fugientes ad loca sacra etiam vi extrahi inde possint. De quibus amplius vide lib. III, § IV, a numer. 90.

## § II.

DE INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIAE.

25. *Incendarius proprie loquendo, quis?* — Queritur I. Quid sit incendarius et quibus poenis subiaceat? Resp. I. Incendarius proprie, et ad propositum loquendo, germanice Brenner, item Mordbrenner est, qui dolo malo, ex odio, vel vindicta, vel alio commodi aut lucri consequendi gratia, civitatem, oppidum, pagum, praedium, aedes, vel alia bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, foeni, lignorum, sylvam, etc., supposito igne incendunt, vel ad hoc scienter praestant consilium, aut auxilium. Ita in re communis. arg. can. Pessimam. 32, cau. 23, q. 8, et l. Qui aedes. 9, ff. de incendio et ruina, ibi: Appellatione aedium omnes species aedificii continentur. Cum Concordantiis.

26. *Talis non est, ex cujus negligentia, vel*

imprudencia, et non data opera incendium oritur. — Dicitur notanter, qui dolo malo, data opera, etc., quia, si incendium non ex dolo malo, et data opera, sed casu tantum, vel ex negligentia, et imprudencia, etsi cum culpa aliqua etiam lata, vel levi, vel levissima contingit, incendarius proprie talis non est, nec poenae ordinariae illius subest, qui sua culpa est causa tali incendii, uti dicitur intra n. 28. Multo minus incendarius dici potest, qui auctoritate legitima, vel ex mandato illius, qui potestatem habet, incendit eas, etc.

27. *Pœna incendiarum proprie talis.* — Resp. II. Quoad poenam incendiarum dolo malo, data opera incendium causantis de jure civili ita statutum habetur, l. qui aedes. 9, ff. de Incendio, et ruina. ibi: Qui aedes, acervumve frumenti juxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus igne necari jubetur, et l. fin. ff. de Incendio et ruina ita statutum habetur: Qui data opera in civitate incendium fecerint, si humiliori loco sint, bestiis objici solent; si aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur, aut certe in insulam deportantur: ubi Glossa fin. addit, ut igne crementur. Item l. Capitalium. 28, § 12, ff. de Penis, ita statuitur: Incendarii capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel praedae causa incenderunt quid intra oppidum, et plerumque vivi exurantur: qui vero casam aut villam, aliquo levius. Jam vero per Constitutionem Caroli V, art. 125. Incendarii dolosi omnes indistincte vivi concremandi veniunt.

28. *Pœna illius, qui sine dolo ex negligentia vel imprudencia aliqua lata, levi, levissima culpa incendium causavit. Nulla culpa equiparatur dolo.* — Resp. III. Qui incendium sine dolo, ex sola negligentia, vel imprudencia cum culpa tamen sive lata, sive levi, sive levissima causarum, ad poenam ordinariam nullo jure tenentur, bene vero de jure civili ad reparationem damnorum inde secutorum, et aliam ordinariam mitiorem poenam arbitrio iudicis imponendam, arg. l. Qui aedes. 9, ff. de Incendio et ruina, l. Capitalium, 28, § 12, de Penis. Ratio autem, cur etiam ex causa lata non teneatur ad poenam ordinariam, est, quia haec non nisi ob incendium ex dolo malo commissum incurritur, per jura citata. Dolo autem nulla culpa equiparatur, l. in lege Cornel. 7, juncta Glossa § Culpa lata, ff. ad Leg. Cornelianam de Sicar. Clarus § fin. quæst. 84, num. 1,



citans communem, Jason in l. *in actionibus*, ff. *de in litem Jur.* num. 23 et 26.

29. *Ubi pœna in jure non determinatur, arbitrio iudicis imponitur.* — Et quoniam præter restitutionem damnorum pœna specificè non determinatur in jure contra eum, qui sua culpa sine dolo causat incendium, arbitrio iudicis pro varietate culpæ, incendii, et personarum, semper tamen citra mortem, vel mutilationem imponi consuevit vel per mulctam pecuniariam, vel per carceres, relegationem, fustigationem, etc. Farinacius in *Prax. crim.* q. 110, nu. 10, arg. l. 1, § 1. ff. *de Effractor.* ibi: Quibus nulla specialis pœna rescriptis principalibus imposita est, idcirco causa cognita liberum erit arbitrium statuendi, qui cognoscit.

30. *Qui sua negligentia, vel incuria incendium causavit, in foro interno ad nihil tenetur, nisi culpa gravis theologica intervenerit.* — Porro, quæ in præcedentibus duobus numeris dicta sunt, pro foro externo intelligenda veniunt; quia in foro interno ante sententiam iudicis ad nullam restitutionem damnorum tenetur, ex cuius negligentia, incuria, imprudentia, vel alia culpa levi incendium ortum, vel causatum est, nisi culpa lata theologica graviter peccaminosa intervenerit; cum levis, vel levissima causa ad reparationem damni in foro non obliget, per dicenda infra tit. XXXVI, *de Injuriis, et damno dato.*

31. *Incendium mere fortuito sine ullius culpa factum, nullam pœnam inducit.* — Resp. IV. Quando incendium casu fortuito sine ullius culpa contingit, quivis sicut a culpa, sic etiam ab omni pœna, et opere restitutionis in omni foro immunis est. Omnes, l. *Si fortuito*, 11, ff. *de Incendio, et ruina*, l. *Si quis*, 9, § 3, ff. *Locat.* ibi: Si quidem fortuitus casus causam incendii dederit, non præstabit periculum locator, et l. *Ex conducto*, 15, § 2 et 3, ff. *eod.*

32. *Pœna incendiarii de jure canonico.* — Resp. V. De jure canonico laici incendiarii rerum profanarum, sicut et incendiarii præbentes consilium, et auxilium præter pœnitentiam tribus annis peragendam, c. *Si qui domum*, 6, *de Injur. et damn.* sunt excommunicandi, nec absolvi possunt, donec damna causata resarciant, et, si impœnitentes decedunt, carent sacra sepultura, can. *Si quis*, 11, et cap. *Pessimam*, 32, cau. 23, q. 8, ibi: Si quis, etc., sive pro odio, sive pro vindicta ignem tribuerit vel appon-

fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter apposuerit, excommunicetur: Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura: nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam, resarcito.

33. Si vero ante mortem pœnitens a censura fuerit absolutus, in loco sacro sepeliri potest, ita tamen, ut hæredes illius ad reparationem damnorum ex incendio secutorum teneantur, et compellantur, si ab incendiario prius facta non est, textu expresso, c. *In litteris*, 5, h. t.

34. *Illius qui loca sacra incendit.* — Dicitur notanter in conclusione num. 37, posita, rerum profanarum; quia si laici cœmeteria, ecclesias, vel alia loca sacra, vel his ad triginta passus contigua loca, juxta can. *Definivit*, 35, cau. 17, q. 4, dolo malo incendunt, ipso facto sunt excommunicati, arg. can. *Si quis*, 31, cau. 33, quæst. 8, can. *Canonica*, 107, cau. 11, quæst. 3, can. *Omnes ecclesiarum*, 5, cau. 17, q. 4.

35. *Quis absolvat incendiarium ab excommunicatione?* — Porro licet incendiarii ab excommunicatione ab homine, vel a jure lata absolvi possint per episcopum, ut bene observat Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 9, Sylvest. §. *Incendiarius*, q. 1, n. 2, tamen postquam per Ecclesiam publice denuntiantur, soli summo Pontifici reservata manet absolutio, textu expresso c. *Tua nos*, 19, *de Sentent. Excommun.* ibi: Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutiois beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi.

36. *Dolus nunquam præsumitur.* — Quæritur II. Quid juris de incendio alicubi ita exorto, ut de auctore, et causa illius non constet, an nempe alicujus? et cuius culpa vel dolo præsumatur factum? et an aliquis præsertim paterfamilias vel alii inhabitantes teneantur ad reparationem damni, aliquibus v. g. vicinis inde secuti? Ante responsionem nota, certum esse, non præsumi dolo alicujus certi factum tale incendium, quia dolus nunquam præsumitur l. *Morito*, 51, ff. *Pro socio*, sed claris indiciis probari debet, l. *Dolum*, 6, c. *de Dolo malo*, 15: Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit, H. N.

37. *Si nescitur, unde incendium sit exortum, præsumitur culpa inhabitantium esse exortum. Incendia ordinarie culpa inhabitantium oriuntur.* — Resp. I. Quamvis incendium hujusmodi ordinarie loquendo culpa inhabitantium

potius, quam fortuito contigisse præsumatur, tamen paterfamilias, vel alii inhabitantes, ad damna inde secuta resarcienda etiam in foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie, et determinate rationabiliter præsumatur. Prima pars conclusionis caret controversia. Ratio est, quia in dubio id præsumitur, quod plerumque fit, ædium autem incendia in quæsito posita, plerumque aliqua saltem, si non lata, saltem levi, vel levissima culpa et negligentia inhabitantium oritur, l. *Nam salutem*, 3, § 1, ff. *de Offic. Præfect. vigil.* ibi: Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, et l. *Vendita*, 11, ff. *de Periculo, et commodo rei vendit.* ibi: Cum incendium sine culpa fieri non possit: intellige ordinarie.

38. *Ex qua tamen præsumptione nullus, nec paterfamilias puniri potest, nisi de aliquo in specie culpa præsumatur.* — Secunda pars docetur a Farinacio, in *Prax. crim.* q. 110, n. 93, citans plures alios in specie, et communem aliorum. Ratio est, quia etsi incendium præsumatur culpa inhabitantium, et quidem omnium, quando de uno certo nil constat ut cum aliis bene observat Farinacius, loc. cit. n. 46, tamen hæc præsumptio non sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum, v. g. paterfamilias, sed omnes absolvi debent, si post inquisitionem, quæ utique fieri debet, contra aliquem in specie culpa præsumi non potest. Farinacius, loc. cit. n. 93, q. 6 et 98. Alexander, *Consil.* 50, n. 9. Gailus, *Pract. observat.* lib. II, *Observat.* 21, n. 3. Ratio est, tum quia incendium non probata culpa certi hominis inter casus fortuitos numeratur. Gailus, loc. cit. arg. 1. *Incendium*, c. *Si certum petatur*. Tum quia probatio debet esse certa, alias nil valet, c. *In præsentia, de Probatione.*

39. *Solvitur objectio. An et quomodo paterfamilias teneatur ad damna, culpa domesticorum causata?* — Dices: paterfamilias tenetur ad resarciendum damnum culpa domesticorum causatum; ergo cum juxta dicta incendium ordinarie præsumatur culpa inhabitantium factam, ad damna inde secuta tenebitur dominus, nisi culpam suam, et domesticorum abfuisse probet; uti argumentatur Faschin. *Controvers.* lib. I, cap. LXXXVII. Haunoldus, et alii. Sed respondetur distinguendo: Paterfamilias tenetur ad damnum causatum culpa domesticorum, si de culpa alicujus, vel plurium in specie

constat; transeat antecedens; si de nullius certi culpa constat, negatur per jura, et rationes num. præced. allegatas.

40. Imo etiam casu, quo constat de culpa certi servi, non tenebitur ad damna incendii paterfamilias, si talis servus alias pro fideli, et diligenti habitus, et inventus est, uti cum Mascardo, *Concl.* 894, n. 19, et aliis bene observat Farinacius, cit. q. 110, n. 115. Qui ibidem etiam num. 111, universaliter docet, quod regulariter loquendo, dominus, seu paterfamilias non teneatur pro incendio culpa famulorum exorto, arg. cit. l. *Si vendita*, 11, ff. *de Periculo, et commodo.*

41. *Culpa, ex qua incendium fuit ortum, per conjecturas et præsumptiones sufficienter probatur.* — Dicitur tamen notanter in conclusione, nisi culpa alicujus in specie rationabiliter præsumatur; quia ad probandam culpam, ex qua incendium oritur, sufficienter præsumptiones, et conjecturæ. Farinacius, cit. q. 110, n. 94. Gabriel, *Consil.* 159, n. 7, et seqq., quæ proin si sufficienti præsumptione, vel conjectura contra certum, sive servum probata habetur, ad condemnandum sufficit. Cujusmodi præsumptiones, et conjecturas de culpa aliquorum, sicut et totam hanc materiam late discussam vide apud Farinacium, cit. q. 110.

42. *Ecclesiarum violatores, qui? Sunt ipso jure excommunicati, nec absolvi possunt, donec satisfaciant, aut cautionem præsentent.* — Quæritur III. Quid ad propositum sint? et quibus pœnis subiaceant violatores ecclesiarum? Resp. I. Violatores ecclesiarum proprie et stricto loquendo sunt, qui ecclesias, aliave loca sacra, aut religiosa violenter effragunt, et spoliant. Et hi de jure canonico incurrunt pœnam excommunicationis, etiam ipso facto, can. *Canonica*, 107, cau. 11, quæst. 3, ibi: Ecclesiarum violatores auctoritate Dei, et judicio S. Spiritus a gremio matris Ecclesiæ, et consortio totius Christianitatis eliminamus, quoad usque resipiscant, et Ecclesiæ Dei satisfaciant. can. *Omnes*, 5, cau. 17, quæst. 4, et c. *Conquesti*, 22, *de Sentent. excommun.* juncta Glossa, ibid. *Excommunicatos*, ibique doctores communiter. A qua excommunicatione absolvi non possunt, nec ad remedium pœnitentiæ admittuntur, si, dum possunt, satisfacere, vel sufficientem cautionem præstare nolunt: si vero pœnitentes volunt, dum non amplius possunt, absolutio eis quidem datur, sepultura tamen eorum clerici interesse prohi-



bentur, textu expresso c. super eo 2, h. t.

43. *Ecclesie violator non est, sed tantum invasor, aut fur sacrilegus, indeque non ipso jure excommunicatus, sed excommunicandus, qui ab ecclesia aufert duntaxat, sed eam non effringit; vel e contra.* — Requiritur autem ad violatorem ecclesie, ut fiat effractio violenta, et spoliatio simul, adeo ut si quis solum violenter effringat locum sacrum, ex illo autem nil auferat, vel spoliet quidem, vel furetur quid ab ecclesia, illam tamen non effringat, proprie violator ecclesie non sit, sed invasor potius illius, aut fur sacrilegus, adeoque excommunicationem ipso facto non incurrat, sed primum excommunicari debeat, uti observat Glossa communiter recepta in cit. c. *Conquesti*, 22, de *Sentent. excommun.* §. *Excommunicatos*, arg. c. *Conquestus*, 16, de *Foro competenti*. Ubi hujusmodi sacrilegi rerum sacrarum invasores, usque ad satisfactionem congruam anathemati supponi jubentur, utpote saltem veri sacrilegi invasores, aut fures rerum sacrarum, vel ad loca sacra pertinentium, de quibus sacrilegis et pœnis eorum tit. seq. § 2, a n. 55.

44. *Pœna violatorum ecclesie de jure civili.* — Resp. II. De jure civili violatores ecclesiarum, utpote gravissimi sacrilegi, pro diversitate delicti, et delinquentium, aliarumque circumstantiarum vel ad bestias, vel in perpetuum exilium, vel ad metalla damnabantur, vel capite plectebantur, vel suspendebantur, vel vivi concremabantur, textu expresso, l. *Sacrilegii*, 6, ff. *ad Leg. Jul. peculat.* ibi: *Sacrilegii pœnam dabit proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, et temporis, et ætatis, et sexus, severius vel clementius statuere: et scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse.* Concordant, l. *Sacrilegii*, 9, *Hac lege*, 10, ff. eod. et l. *Si quis*, 10, *Authen. de episcop. et cleric.*

45. *Pœna contra hos, et sacrilegos fures juxta novam ordinationem carolinam.* — Hodierno autem jure per ordinationem carolinam pœnæ sunt determinatæ, ita, ut qui auferat vas, in quo sanctissimum asservatur, vivus comburatur art. 172; qui vero aliud vas aureum, vel argenteum, cum vel sine reliquis, vel calicem, vel patenam abstulerit: vel qui sacristiam, templum, aut gazophylacium, seu cipum, vel capsam eleemosynariam animo furandi effregerit, aut do-

lois instrumentis aperuerit, pœna corporali, vel capitali, exasperato, vel mitigato pro diversitate circumstantiarum supplicio afficiatur, art. 172 et 173. (ADNOTATIO XXIX.)

## TITULUS XVIII

### De furtis.

1. *Ratio ordinis.* — Quamvis, ut supra jam diximus, septimo præcepto, quo prohibetur furtum, prohibeantur omnia, per quæ in bonis fortunæ proximus injuste læditur, in quo sensu etiam rapina comprehenditur, tamen præsens rubrica specialiter agit de furto, tanquam criminis a rapina, ab aliis distincto. Hinc ponitur.

### § I.

#### DE NATURA, ET VARIIS MODIS FURTI.

2. *Furtum proprie tale definitur.* — Quæritur I. Quid sit, quo modo, et a quibus fiat furtum? Resp. I. Furtum a furto, id est, nigro dictum, eo quod eam, et in obscuro fiat, et plerumque nocte, a ferendo, vel auferendo, ut dicitur l. 1, prin. ff. h. t. proprie loquendo, est contractatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve. Ita in terminis l. 1, § fin. ff. h. t. vel ut communiter theologi definiunt: Est occulta acceptatio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

3. *Debet esse actualis acceptio rei alienæ.* — Explicatur definitio per legem data. Dicitur imprimis consecratio, seu acceptio, qua res de loco ad locum actu movetur, l. *Possideri*, 3, § ff. *de Acquirend. possession.* quia in foro externo solo animo, seu desiderio, vel etiam externo furandi conatu furtum non committitur, nisi actu contractetur, & de loco in locum transferatur. Hinc qui furti faciendi causa conclave intravit, nondum fur est l. 1, § 7, ff. h. t. Additur autem notanter in foro externo. Nam in foro interno coram Domino Deo furti jam reus est, qui furari solum intendit, etsi actu non furetur, Exodi, cap. xx, v. 17, et can. *Si propterea*, 29, dist. 1, de *Pœnit.* ibi: « Intus fecisti, in corde fecisti, furti teneris, nihil tulisti. »

4. *Et quidem fraudulenta, seu animo fu-*

randi. — Dicitur secundo, fraudulosa, id est, injuste cum fraude et dolo, voluntate, et affectu furandi facta; quia furtum sine affectu furandi non committitur, § *Placuit*, 7, *Instit. de Obligat. quæ ex delicto.* Hinc qui rem alienam bona fide accipit, rationabiliter existimans, dominum consecrurum, vel, si sciret, non fore invitum, in nullo foro reus est furci, l. *Inter omnes*, 46, § 7, ff. h. t. ibi: « Recte dictum est, qui putavit, se domini voluntate rem attingere, non esse furem, » et l. *Qui re*, 76, prin. ff. eod. ibi: « Qui existimavit se non invito domino id facere, furci non tenetur. » In dubio autem, an dominus sit invitus, necne, eum dissentire præsumitur, præsertim si res contractatur insueto modo, arg. l. *Qui vas*, 48, § 3, ff. h. t.

5. *Ac lucri faciendi causa.* — Dicitur tertio lucri faciendi causa, quia qui rem auferat injuriæ causa, vel eam destruit, in ignem, vel flumen projicit, non furci, sed injuriæ, ac damni dati reus est, et conveniri potest, l. *Qui injuriæ*, 53, princ. ubi ratio additur: « Nam malefica voluntas, et propositum distinguit: » quæ voluntas, cum in tali casu non sit lucri causa ad furtum requisita, furtum non est.

6. *Rei alienæ; nam rei propriæ furtum non datur.* — Dicitur quarto rei ipsius, alienæ videlicet, et quidem corporalis, ac mobilis; quia cum rei propriæ quisque moderator, et arbiter sit, l. *In re mandata*, c. *Mandati*, et ea uti vel abuti possit. l. *Sed etsi*, § 11, ff. *De petit. hæret.* rei propriæ furtum non datur. Hinc etiam a furto immunis erit, qui auferat rem alienam, bona fide putans esse suam, arg. § 1, *Instit. de vi bonor. rapt.* præsertim, cum in tali contractatione etiam desit fraus et dolus, seu furandi animus, sine qua non datur furtum, cit. § *Placuit*, 7, *Instit. de oblig. ex delicto.*

7. *Nec rei, quæ habetur pro derelicta, quæ pro derelicta habentur, sunt primo occupanti.* — Sic etiam ex defectu rei alienæ, furtum non committit, qui accipit rem, quæ nullius est domini, vel a domino pro derelicta habetur, textu expresso, l. *Falsus*, 43, § 5, h. t. Siquidem hujusmodi res fiunt primo occupanti, l. *Pro derelicta*, 2, et l. *Si id*, 5, ff. *Pro derelicto.*

8. *Nec datur furtum rei incorporalis?* — Præter furtum non est contractatio rei incorporalis, quia cum res incorporalis contractari et tangi non possit, § *Incorporales*, 2, *Instit. de rebus corporal. et incorporal.* fur-

tum proprie dictum respectu illius non datur. Sylvester, §. *Furtum*, n. 1.

9. *Nec immobilis.* — Insuper furtum in re immobili non datur, l. *Verum*, 25, ff. h. t. § *Quod autem*, *Instit. de usucap.* et l. *Quam rem*, 38, ff. eod. quia proprie occultari, et de loco in locum moveri non possunt, l. *Possideri*, 3, § 18, ff. *de Acquirend. possess.*

10. *Bene vero datur furtum ususfructus, et possessionis, uti in commodato, deposito, et pignore.* — Dicitur quinto, vel etiam usus ejus, possessionisve, quia verum furtum committit, non tantum, qui rem alienam fraudulenter auferat, sed etiam qui usum, vel usumfructum, possessionem alicui de jure competentem inique auferat, vel habentem illo privat. Hinc furci reus est dominus, qui rem alicui, pignori datam, inique auferat § *Unde*, 14, *Instit. de obligat. ex delicto*, et l. *Itaque*, 12, § 2, ff. h. t. Item qui rem alieni accommodatam, locatam, depositam clam fraudulenter auferat, fur est, § 15, et seqq. *Instit. de obligat. ex delicto*, l. *Cujus interest*, 10, l. *Tum is*, 11, l. *Itaque*, 12, l. *Inter omnes*, 46, § 1, ff. h. t. Prout e contra furtum committit commodatarius, ususfructuarius, etc., qui re commodata, vel ad usum fructum concessa, diutius, vel aliter, quam dominus concessit, fraudulenter utitur: item qui rem in depositum, aut pignus datam, ea taliter utitur, § 6, *Instit. de obligat. ex delicto*, l. *Qui jumenta*, 40, l. *Si pignore*, 54, princ. ff. h. t.

11. *Furti etiam rei sunt, qui ad illud consulunt, juvant.* — Resp. II. Furtum vero committunt, et actione furti convinci possunt, non solum illi, qui per se ipsos rem alienam fraudulenter auferunt, sed etiam qui id mandant, item qui consilium, aut auxilium ad id præstant. Farinacius, *Prax. crimin.* q. 168, n. 32, et seqq.; Tuschus, §. *Furtum*, concl. 562, n. 1 et 2. Cum communi et certa aliorum, § *Interdum*, 11, *Instit. de Obligat. ex delicto*, ibi: « Interdum quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit, qualis est is, cujus ope et consilio furtum factum est, » juncta l. *In furti*, 50, ff. h. t. Ratio est, quia hi saltem moraliter contractant rem alienam fraudulenter. Ex qua ratione etiam furci reus est, qui furem cum re furtiva scienter recipit, et occultat. Doctores citati per jura allegata, juncta l. *Qui vas*, 48, § 1, ff. h. t. ibi: « Furem qui celat, furti tenetur. »

12. *Item, qui rem furtivam scienter emunt,*